UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

18. An opinio aliquorum asserentium Confessarium non posse imponere pœnitentiam pro animabus Purgatorij sit improbabiles? Et observatur primo sæpius Confessarios excusari à culpa imponente leves ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76393

Visual Library

plicem ſatisfactionem reperiri : alia eſt ex opere operato, quæ reſpondet operi, qua ſacramentale eſt, & virtute Sacramenti eleuatur : alia eſt ex opere operantis, quæ reſpondet operi,& æſtimationi eius, iuxta hominis feruorem, & charitatem.

3. Hoc ſuppoſito, aſſerit contra Sancium Petrus Marchant. *in Tribun. Sacrament.tom.*1.*tract.*6.*tit.*3.*quæſt.*5.quòd fructus ſatisfactionis in pœnitentia impoſita ex opere operantis procedens, poteſt applicari fidelibus defunctis, etiam de mandato Confeſſarij, cui acquieſcere debet pœnitens Et hoc eſt,quod antiquæ praxes pœnitentiariarũ indicãt:habent enim illa opera,præter bonitatem propriam,quandam charitatis diffuſionem, qua homo pro peccatis ſuis ſatisfaciens, etiam ad proximum diffunditur. Ex. gr. do eleemoſynam pauperi : per iſtud opus, & mea peccata redimo, & proximi indigentiæ conſulo. Sic in ſanctificationis pœnitentiis imponit Confeſſarius Sacerdoti pœnitenti, vt pro defunctis celebret tres Miſſas; Sacerdos illas celebrans ſibi acquirit portionem,quæ ex vi ſacrificij ipſi celebranti ex opere operato debetur;& portionem, quæ ex vi operis per Sacramentum pœnitentiæ eleuati,oritur:fructum autem Miſſæ, qui cæteris, pro quibus celebratur, applicari ſolet, tenetur ex vi præcepti Confeſſarij applicare defunctis. Quod & clariſſimè exemplificatur de pœnitente, qui tenebatur Officium Defunctorum pro defuncto certo tempore legere, & non legit, ſi Sacerdos illi pro pœnitentia illud legendum imponit, abſque alia pœnitentia. Certum primò eſt, pœnitentiam priori obligationi per hoc ſatisfacere. Secundò, certum eſt, Officium illud Defunctorum ſic ex priori obligatione impoſitum, defuncto prodeſſe; quia ad illud prius habebat ius. Tertiò, certum eſt, pœnitentem per hoc, ſacramentalem pœnitentiam implere, & cùm ſacramentalis pœnitentia ex opere operato partem pœnæ debitæ pro peccatis diminuat, conſequenter dicendum eſt,illam diminutionem pœnitenti deberi. Ex his patet reſponſio ad rationem in contrarium propoſitam.

4. Et ideò hanc etiam ſententiam ex aliis rationibus, me citato, tenet etiam ſapientiſſimus Pater Amicus *in Cur.Theolog.tom.*8.*diſput.*16 *ſect.*5.*dub.*3.*num.*63. ex eo, ait ipſe [quòd pœnitentia ſacramentalis iniungatur pœnitenti pro remiſſione pœnæ alterius, non deſinit eſſe pars Sacramenti : ergo licitum erit ad hunc finem illam imponere. Antecedens probatur : quoniam, vt ſit pars Sacramenti, ſufficit, vt virtute clauium eleuetur ad conferendum effectum ex opere operato, quem ſemper operabitur, ſiue imponatur pro remiſſione pœnæ ipſius pœnitentis, ſiue alterius. Confirmatur : quia, ſicut poteſt effectus impetrationis Sacramenti applicari alij ; ita & remiſſio pœnæ. Ex his infertur, non ſolùm pro defunctis,ſed etiam pro viuis poſſe ſacramentalem pœnitentiam imponi.

5. Dices : Claues ſacramentales non ſe extendunt vltra ſpheram ſuæ virtutis : ſed virtus clauium non ſe extendit vltra bonum pœnitentis, in ordine ad quod ſunt datæ claues Sacerdoti. Reſpondetur,diſtinguendo minorem : virtus clauium non ſe extendir immediatè vltra bonum pœnitentis, concedo ; mediatè nego. Etenim per pœnitentiam applicandam defunctis immediatè procuratur bonum ipſius pœnitentis, dum eius morbo medetur, qui fortaſſe contra iuſtitiam, vel charitatem deliquit in defunctos ; mediatè verò bonum defunctorum.

6. Ex dictis patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Nam ex eo, quòd pœnitentia imponatur applicanda defunctis,non tollitur, quin poſſit, ſaltem per modum medelæ, vel cautelæ, prodeſſe pœnitenti ; ac proinde in tali caſu Sacramentum ſuo fine non fruſtraretur. Non inficior tamen, tunc ſacramentalem ſatisfactionem, quoad proprium ſuum effectum remittendi pœnam ex opere operato, non prodeſſe pœnitenti ; ſed defunctis : verùm hoc nihil obſtat : nec repugnat Sacramento Hucvſque Pater Amicus, quæ tamen omnia ſecundùm eius mentem dicta eſſe volo.

7. Et tandem hanc ſententiam affirmatiuam docet etiam Cardinalis de Lugo *de Sacrament. Pœnitentiæ, diſput* 25.*num.*64. Pellizarius *de Mon.cap.*10.*ſect.*3.*num.*211.& Caſtrus Palaus *tom.*4.*tract.*23.*diſp.vnica, punct.*21.*num.*3. Concedunt namque,Sacramentum Pœnitentiæ ad delenda peccata pœnitentis, tam quoad culpam, quàm pœnam inſtitutum eſſe ; ſed inde non infertur, orationes pro animabus Purgatorij applicandas effectum in pœnitente habituras non eſſe : habent quidem effectum ex opere operato, & virtute Sacramenti, qui à pœnitente animabus Purgatorij communicari non poteſt ; tametſi illis communicet effectum, ſeu ſatisfactionem, illis orationibus correſpondentem, quatenus ab ipſo procedunt : qui effectus eſt omninò diſtinctus, & ſeparabilis ab effectu, & ſatisfactione, quem illæ orationes habent, quatenus à Confeſſario ſunt iniunctæ,& pars Sacramenti pœnitentiæ conſtitutæ. Et ideò ex his omnibus ego prorſus huic poſteriori ſententiæ affirmatiuæ adhæreo. Puto tamen maturè procedendum in cenſurando priorem ſententiam Sancij.

RESOL. XVIII.

An opinio aliquorum aſſerentium Confeſſarium non poſſe imponere pœnitentiam pro animabus Purgatorij ſit improbabilis ?

Et obſeruatur primo ſæpius Confeſſarios excuſari à culpa imponentes leues pœnitentias in confeſſionibus ratione illius clauſulæ : Paſſio Domini noſtri *&c.quamuis eſſentia abſolutionis conſiſtat in his verbis.* Abſoluo te ?

Secundo poſſe pœnitentem commutare pœnitentiam impoſitam in melius.

Tertio, tunc dilationem pœnitentiæ grauis eſſe nimiam, quando differtur poſt tertium diem, ab impoſita pœnitentia.

Sed tandem quæritur, an ſi tempus implendi pœnitentiam à Confeſſario non ſit præfixum, poſſit pœnitentia ad annum differri ? Ex part. 11. tractat.8.& Miſc.8.Reſol.26.

§.1. AFfirmatiuè reſpondet Turrianus *in ſelectis cent.*3.*Theol.dub.*1.*in fine.* Sed ſi hæc cenſura eſſet vera feriret non ſolum Sancium, Vegam, Bordonum, & alios, ſed etiam ex ſua Societate virũm doctum Andream Mendo *in Apendice ad Bullam Cruciatæ diſputat.*4. *capit.*8. *num.*62. vbi ſic ait: Conſequentior mihi videtur opinio Ioannis Sancij negans, poſſe pœnitentias à confeſſario iniungi applicandas pro animabus Purgatorij ; Et ſaltem aſſero, etſi confeſſarij ſententiæ oppoſitæ conformentur ; in praxi rarò eſſe eas pœnitentias iniuncturos:tum quia par eſt, conſulere ipſi pœnitenti, & conari,vt pœnæ ab ipſo debitæ minuantur : tum quia pœnitentes iudicant, per opera iniuncta, quæ adimplent pro ſuis culpis, ſatisfieri, nec obſtare eam applicationem pro defunctis : atque adeo,ſi agnoſcerent, nihil à ſe ſolui pro pœnis debitis,forſan id ægrè ferrent, & ſe deceptos putarent. Quæ omnia vitari congruum apparet. Ita Mendo.

2. Sed ego difficulter ſequor Turrianum nimis pronum ad cenſurandas opiniones, ideo quicquid ſit de probabilitate huius ſententiæ, ego pluries contra-

riam docui, & nunc iterum doceo, & nouiſſimè me citato docet Dicaſtillus *de Sacrament. tom. 2. tract. 8. diſput. 14. dub. 6. num. 95. cum ſequent.* & quærit ab aduerſariis an pro pœnitentia peccatorum, & ſatisfactione Sacramentali liceat, aut expediat iniungere eleemoſynam dandam pauperi indigenti quando pœnitens talis eſt, vt poſſit eleemoſynam facere? aut liceat iniungere, vt captiuum virum probum, ac ſanctum, qui in carcere detinetur in ſumma anguſtia, impeditus, ne interim tranſeat ad iucundiſſimam vitam ſibi ſuis meritis debitam, ſoluto lytro redimat, & liberet? Nemo proculdubio negabit illud eſſe opus dignum, quod iniungatur, & aſſumatur pro ſatisfactione Sacramenti. Atqui ſuffragium oblatum pro anima indigenti, quæ in Purgatorio captiua detinetur, &c. eleemoſyna eſt collata indigenti, & lytrum eſt, quod datur, vt è carcere liberetur, & tranſeat ad vitam iucundiſſimam patriæ Cœleſtis ſibi debitæ, ergo, niſi aliquid ſpeciale obſtet, opus illud miſericordiæ tale eſt, vt merito poſſit iniungi pœnitenti, & aſſumi ab illo in ſatisfactionem ſuorum peccatorum. Vnde mihi placet quod docet Catechiſmus Romanus in fine de ſatisfactione, imponendam ſcilicet eſſe orationem pro defunctis, in qua includitur eleemoſyna acceptiſſima, & ipſi defuncti ſic liberati orabunt pro pœnitente. Quapropter, ſi nihil obſtet, non video cur tanto zelo aliqui conentur exturbare hanc ſententiam, & obloquantur contra eos, qui eam ad praxim reducunt.

3. Dicendum igitur quod non obſtante quod Sacramenta ex ſe, & ex inſtitutione ſua inſtituta ſint, vt proſint ſuſcipientibus, non verò aliis, & quod Confeſſarius tantum habeat ius in ordine ad ſalutem animæ confitentis; poteſt mandare, vt faciat aliquid quod proſit non tantum animæ ipſius confitentis; ſed quod etiam proſit corpori pauperis, ſcilicet largiri ei eleemoſynam corporalem, quia corporalis eleemoſynæ largitio prodeſt etiam animæ pœnitentis conferentis illam ad meritum, & ſatisfactionem, & ad hoc mandandum ius habet Confeſſarius; quia eſt actio ſeruiens ad ſalutem, & ſatisfactionem pro peccatis confitentis; ergo etiam non obſtante quod Sacramenta ex ſe ordinentur, vt proſint ſuſcipientibus, non verò, vt proſint aliis, & quod Confeſſarius tantum habeat ius in ordine ad ſalutem animæ confitentis, poterit mandare, vt faciat aliquid quod proſit non tantum animæ ipſius confitentis, ſed quod etiam proſit animæ pauperis indigentis in Purgatorio, & ad hoc etiam mandandum ius habebit, & quia eſt actio ſeruiens ad ſalutem, & ſatisfactionem pro peccatis confitentis. Cæteras rationes videbis apud Dicaſtill. *vbi ſuprà*, qui etiam reſpondet ad omnia argumenta P. Bordoni, qui ſententiæ Sancij, P. Mendo, & aliorum adhæſit.

[illegible]

4. Nota hic obiter me alibi obſeruaſſe aliquos Doctores aſſerere excuſari ſæpius Confeſſarios imponentes leues pœnitentias in confeſſionibus ratione illius clauſulæ, *Paſſio Domini noſtri &c.* Et hanc ſententiam inuenio nouiſſimè etiam docere Andr. Mendo *in Bullam Cruciatæ, diſputat. 23. cap. 12. numer.* 125. vbi ſic ait: Itaque eſſentia abſolutionis conſiſtit in his verbis, *Abſoluo te*, per quæ quis à cenſuris, & peccatis abſolutus manet. Laudabile autem eſt, & æquum, vti communi forma; *Miſereatur, &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c. Paſſio Domini noſtri, &c.* Niſi fortè aſſiduè quis confiteatur, maximè ſi nuper confeſſus, iterum redeat, vt aliquod peccatum omiſſum exponat, tunc enim vt praxis fert, ſat eſt dicere; *Ego te abſoluo à peccatis tuis. In nomine, &c.* Expediat tamen ſemper adiungere, *Paſſio Domini noſtri, &c.* per hæc namque verba applicantur in ſatisfactionem omnia opera bona pœnitentis. In quo duo ſunt commoda, alterum, vt pœnitens plus ſatisfaciat pro peccatis, mediis ſuis bonis operibus, quam aliàs eſſet ſatisfacturus, ſi ea opera loco etiam pœnitentiæ Sacramentalis ex intentione Confeſſarij apponantur; alterum poſſe minui pœnitentiam, quæ apponitur, vel ſaltem Confeſſarium non debere ſcrupulis pungi, vtrum ſufficientem impoſuerit ſatisfactionem, necne? Ita ille. Sed circa præſentem quæſtionem vide Dicaſtillum *vbi infrà dub. 3. per totam.*

5. Nota ſecundò, me alibi probabiliter cum multis aliis docuiſſe, pœnitentem poſſe commutare pœnitentiam impoſitam à Confeſſario in melius; Et ita etiam docet nouiſſimè Ioannes Caramuel *in Theol. Fundamentali fundament. 66. n.* 1293.

Alibi infrà in Ref. 28. & in aliis eius primæ not.

6. Nota tertiò, quod mihi diſplicet id quod aſſerit Ochagauia *de Sacrament. tractat. vltim. de Pœnitentia, quæſt.* 8. tunc dilationem pœnitentiæ grauis eſſe nimiam, quando differtur poſt tertium diem ab impoſita pœnitentia; mitius tamen Hurtado, & alij putant eam ſolam dilationem non eſſe nimiam; imo nec vltra octauum diem; maximè quando præſtanda non facilè executioni mandatur, vt ſi flagella, ſeu diſciplina imponatur ei, qui domi ſuæ vix habet locum clam cæteris, vt id poſſit facere, debetque res diſponere, vt tandem alibi fieri poſſit. Addunt tamen limitationem, niſi quando res in pœnitentiam iniuncta, eſſet valde grauis, & poſſet commodè impleri: merito tamen id totum tandem relinquunt iudicio prudentum, nec enim ex ſola grauitate, quidquid illi dicant, fit, vt dilatio minor eſſe debeat, quin potiùs voluntas Confeſſarij non præſcribentis tempus ſæpè cenſeri poteſt non adeo ſtrictè rem grauem præcipere, vt quo grauior ſit cæteris paribus, cenſeatur minorem dilationem indulgere. Sed ego alibi ſi non fuerit præfixum tempus à Confeſſario, obſeruaui, Fagundez docere pœnitentem poſſe differre pœnitentiam vſque ad annum; ſed nouiſſimè non approbat hanc ſententiam Dicaſtillus *de Sacr. tom. 2. tract. 8. diſp. 14. dub. 4. n.* 65. Verum illam ſequitur Antonius Eſcobar, & alij à me alibi adducti.

Sup. hoc infrà in Ref. 46 & in aliis eius primæ annot.

Alibi infrà in Ref. 44 §. Sed ego. & in aliis eius annot.

RESOL. XIX.

An Confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam, vt ſi quis committeret tale peccatum, ſoluat ſtatim eleemoſynam pauperibus, vel confiteatur, aut communicet Dominica ſequenti, &c? Ex part. 10. tract. 13. & Miſcell. 3. Reſol. 48.

§. 1. PRima opinio negat. Ità Sanchez *in Summa, tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 16. & 17.* vbi ait: Deducitur quando neganda ſit abſolutio affectis prædicta iurandi conſuetudine. Quod tantùm contingit, quandò ea eſt iuxta dicta, mortalis, nec eſt firmum eius corrigendæ propoſitum; ſicut contingit in aliis peccatis mortalibus. Quod multò fortius eſt in hac conſuetudine obſeruandum, eo quod quaſi in alteram naturam tranſeat, & conſiſtat in peccato oris, quod faciliùs committitur, & difficiliùs euellitur. At exiſtenti eo propoſito non eſt deneganda abſolutio, & circa illud eſt habenda fides ipſi pœnitenti, ſicut in aliis, quæ pro ſe, & contra ſe dicit. Tenetur quoque vt abſolutionis capax ſit, externas occaſiones quæ morale ac proximum illius conſuetudinis iurandi periculum illi afferunt, euitare, ſi id abſque magno incommodo poſſit. Sicut de aliis proximis peccandi occaſionibus tradunt Doctores communiter. * Quod ſi ſæpè propoſuit emendam, nec id fecit, dubium eſt an teneatur pœnitens ad aliquam pœnam, vel remedium acceptanda iudicio Confeſſoris, qualia ſunt

Sup. doctrina huius textus latè ſuprà in tr. 4. Ref. 26. à principio, in Reſol. 27. etiam à principio, & in Ref. 28. à §. Sed difficultas. & infrà in tr. 7. Ref. 125 à lin. 5. & in fine § Vnde. & §. vlt.

* Sup hoc in Reſol. 1. not. præteritæ. §. Quoad ſecũdũ. & in Reſol. 2. §. Notãdum eſt. & ſuprà in Ref. 3 §. vlt.